37.
36

STATERA SANCTUARIJ,

SIVE

ZELUS SECUNDUM SCIENTIAM,

Expeditam tradens Methodum juſtè, & prudenter deponendi in informationibus puritatis ſanguinis, juxta Sacrorum Canonum Decreta, & Summorum Pontificum Conſtitutiones.

Opus oculis invidiæ odibile, viſceribus charitatis amabile, Omnibus proximum, tamquam ſeipſos diligentibus pacis oſculo amplexandum.

CLEMENTI XI. PONTIFICI MAXIMO

HUMILLIME OBLATUM,

SUB AUSPICIIS EMINENTISSIMI PRINCIPIS DOMINI

NONIJ DE CUNHA DE ATAIDE

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Joanni V. Portugalliæ Regi ab intimis Status Conſiliis, Regii Sacelli Capellani Maioris, & per ampliſſimam Ditionem Luſitanam in Quatuor Mundi Partibus contra Hæreticam pravitatem Inquiſitoris Generalis.

A JOSEPHO PINTO PEREYRA LUSITANO

Vimaranenſi, ex Nobilibus Domus Regiæ, Equite Ordinis Chriſti, Primo Accademiæ Eccleſiaſticæ Singrapho, Sacræ Theologiæ, & Juris Utriuſque Doctore.

ROMÆ MDCCXV. Typis Joannis Franciſci Chracas:

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

Joſephus Pinto Pereyra fulgere quaſi Stellam, in perpetuas æternitates.

POSSEM *temeritatis*, & *arrogantiæ argui, qui aures* SANCTITATIS VESTRÆ *toties pulſare præſumo, niſi humilitatem meam Patris benignitas excitaret, vel non excuſaret au-*

ſum civica, chriſtiana charitas. Alliciente ergo pietatis VESTRÆ *dulcedine, & urgente ex adverſo honoris proximi ſtrage, Majeſtatis* VESTRÆ *pedibus humillimè provolutus, præſens offero opuſculum; parvum quidem volumine, ſed argumento non parvo. Agit enim de ſcandaloſo ſchiſmate, a zelum quidem habentibus,* (1) *ſed non ſecundum ſcientiam, Conſtitutiones Pontificias circa puritatem ſanguinis perperam interpretantibus, in Hiſpania introducto, ab Eccleſia tollendo: & deproximo curando à plagis ſibi* (2) *impoſitis, deſcendendo a Jerusâlem à latronibus veræ fidei, apoſtaſia, & hæreſi; ſeu potius à cicatricibus in ſumma cute relictis, & nihil corpus lædentibus,* (3) *quæ iterum putruerunt malitiosè corruptæ à facie inſipientiæ. Quarum ego curationem, quam Sacerdos, & Levita tranſeuntes omiſerunt, Dei auxilio*

(1) Roman. 10. verſ. 2.

(2) Luc. 10 ver. 30. cum ſeqq.

(3) Pſal. 37 v. 6.

conſi-

confiſus, (4) *qui infirma mundi eligit, ut fortia confundat, cum Samaritano Evangelico inſtituere tentavi; infundens vinum, & oleum, quæ Summi Eccleſiæ Præſules, & alii Sancti PP. Cœleſtis Patrisfamilias fideles Architriclini, ex Sacræ Scripturæ penu mihi largiter donarunt.* (5) *Sed quia illi leproſo, quem curavit Chriſtus Dominus præcepit, ut Sacerdoti cum munere ſe oſtenderet, ut teſtaretur ſe eſſe ſecundûm legem mundatum: ita meo vulnerato ſimili modo præcipio, ut* SANCTITATI VESTRÆ, *tamquam ſummo Sacerdoti reverenter ſe oſtendat, & poſt oſcula pedum, hoc tenue munus offerat in teſtimonium ſempiternum recuperatæ ſanitatis. Ut ſit mihi* ((6) *judicio Seleucienſis) lex teſtis curationis; & iniquitati lingua occludatur* (7) *carbonibus deſolatoriis, & ſagittis acutis potentis, Apoſtolicæ Auctoritatis.*

(4) 1. Cor. 1. v. 27.

(5) Matth. 8. v. 4.

(6) S. Baſilius Seleucienſis hom. 33.

(7) Pſalm. 119. v. 4.

Qua

Digitized by Google

Qua ad univerſalis Eccleſiæ communem utilitatem, per multos & felices annos, regnantem ſemper incolumem, Sanctitatem Veſtram fungi velit Deus Optimus Maximus.

EMI-

Digitized by Google

Eminentiſſimo Principi Domino

NONIO DA CUNHA
DE ATAIDE,

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Ioanni V. Portugalliæ Regi ab Intimis Status Conſilijs, Regij Sacelli Capellano Majori, & per ampliſſimam Ditionem Luſitanam in quatuor Mundi Partibus contra Hæreticam pravitatem Inquiſitori Generali.

Eminentiſſime Princeps.

STATERAM Sanctuarij ex ſumo in lucem daturus, nè etiàm in ignem abiret, Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI Papæ XI. in Militantis Eccleſiæ navi, inter tot Orbis procellas fortitèr clavum tenenti, ſub auſpiciis EMINENTIÆ VESTRÆ ad ſuaviſſima oſcula pe-

dum

Digitized by Google

dum benigniſſimè exceptus, humillimè præſentavi: (1) ut veritatis ſcuto circumdatus, nullatenus offendi poſſem á ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: (2) quæ ut ventus deſerti, qui domus filiorum Job quatuor angulos concuſſit, vehementèr, ni fallor, irruent in turrim ædificatam in rupe hujus opuſculi (*) contra faciem Idumeæ. (3) Sed quia Urbs fortitudinis ſola illa dici poteſt, quæ eſt munita præſidiis, & vallata per circuitum muro, & antemurali: (4) hinc fit, ut ex noſtra turri, quamvis mille clypei pendeant, omnis armatura fortium, ſcilicet Sanctorum PP. & Domnus Apoſtolicus in ea ponatur murus; nihilominus indigeat excelſa EMINENTIÆ VESTRÆ, ceú alto antemurali, protectione circumdari: ut à timore nocturno ſecura omninò reddatur, & ambitionis machinis evadat inexpugnabilis. Quiſnam enim mentis compos impetum audeat facere in illam munitionem, quam tantus Princeps deffendit, ubique terrarum notus, tàm ex decore virtutum, quàm generis claritate: (5) à Magno illo Gutierre inclytæ familiæ CUNEÆ inter primarias Hiſpaniæ a cunctis jure relatæ, & univerſis Magnitudinis characteribus inſi-

(1) Pſal. 90 v. 5. & 6.

(2) Job 1. v. 14.

(*) 1. Machab. 4. v. 61

(3) Iſayæ 26. v. 1.

(4) Cant. 4. v. 4.

(5) Brandaõ in Monarch. Luſitana p. 3. l. 8. c. 3. Comes D. Petrus in nobiliario tit. 55. & ibi

inſignitæ, Illuſtriſſimo ſtipite, ſeptingentis ab hinc annis per xix. generationes, adauctæ in dies gloriæ ſtemmatibus coruſcantis, aduſq; EMINENTIAM VESTRAM felicitèr derivata. Sed quid Progenitorum retexam prærogativam, quorum præclaræ proſapiæ eſt Nepos Eminens caput. Qui licèt de natalium ſplendore conſcientiæ jubar hauſerit, tamen fulgorem ſtirpis morum radiis obumbravit: utpotè quem adduxerunt ad Cardinalatus apicem, modeſtia, pudicitia, gravitas, zelus decoris Domus Dei, & Sacrarum Ceremoniarum exactiſſima obſervantia: ut cùm tot in Regni circulo digniſſimi eſſent Præſules, præ omnibus EMINENTIAM VESTRAM, ad Romanam fulgentem purpuram Regium ambiret ſuffragium: Quis enim abſque piaculo in honore conferendo non omnibus præferret virum in Dei cultu ſingularem. Cui (abſit verbo invidia) merito adaptari poſſunt Dei verba (6) in primo Regum -- *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciat* -- Propter hoc enim, ut notavit Abulenſis, Sacerdos iſte erat futurus fidelis, quia obſervaret Dei voluntatem juxta omnes ceremonias. Et non abſque magno præmio;

Labaña pag 305. litt. A. Carvalho in Corograph. tom. 2. l. 1. tract. 5. c. 25 Dom. Tiviſco de Naſao in TheatroGenealogico Arbore 87.

(6) Cap. 2. v. 35. ubi Abulenſis q. 31.

Sequitur enim in textu -- *& ædificabo ei domum ſidelem* -- ideſt; faciam quod domus ejus ſit firma - - *& ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus* -- ideſt; miniſtrabit coram Rege á me inſtituto omnibus diebus vitæ ſuæ. Quibus verbis, quaſi digito, glorioſum Regem Noſtrum illius Magni Alphonſi Semen, & Succeſſorem (7) ac per conſequens cum illo Regem à Deo inſtitutum, & veriùs, quám Trajanus, (8) inter aras, & altaria, coram palàmque repertum, Sacer textus demonſtravit; cujus gratiam edicit erga EMINENTIAM VESTRAM futuram eſſe perpetuam, & Excellentiſſimam domum Dominorum de Povolide, & Comitum de Pontevel firmiter eſſe manſuram, dum Polus Sidera paſcet. Quæ tàm proſpere procedant, quam ex animo exoptat

EMINENTIÆ VESTRÆ.

Humillimus, & Devotiſſimus Servus
Joſephus Pinto Pereyra.

(7) Brandaõ d. p. 3. lib. 10. cap. 5. Faria in Europa tom 2. p. 1. cap. 3. num. 28. Maiolus in diebus Canicularibus tom. 5. Colloquio 5.

(8) Plinius in Panegyrico.

LE-

L E C T O R I.

A*MICE Lector . Cùm ex dictis ad Sanctiſſimum, & in proemio dicendis, ſatis ſuperque appareat quænam ſit Operis ratio, & quæ Auctoris intentio; de his plùs aliquid dicere arbitror eſſe ſuperfluum. Quare ſolùm mihi ſupereſt te urbanè deprecari, ut plurium defectuum, quos non dubito invenies, non Iudex inexorabilis, ſed modeſtus ſis correptor. Nèc me velis comparare cum cæteris Scriptoribus, qui de aliquo argumento jam ab alijs digeſto Opuſcula edidere; quia mea, & illorum non eſt ſimilis conditio. Nam illi, ut ſolet fieri, varia illius materiæ volumina replicantes, potuerunt, quaſi apes, de irriguo ridente prato, parvam opuſculi ſui vernantem coronam texere: Ego quid acturus eram, qui nullum prævium ſequens, peſſimum, ut eſt in proverbio, Magiſtrum meipſum habui; Ut de ſe humilitèr ſentiens, Doctor Maximus (1)* (1) In Epiſt. dedicatoria libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis.
dicebat, dum ſcriberet ad Dextrum. Quamvis enim in Hiſpania aliqui Iuriſperiti de ſtatutis puritatis incidenter pertractaverint, (uno vel altero excepto) nullus attamen hùcuſque [quod venia illorum dixerim] ſecurim ad radicem poſuit, nec alijs viam munivit: immò cùm dicta Statuta deberent interpretari ſecundùm regulas juris, & Chriſtanam Epiche am, ne ſequerentur abſurda, & ſcandala vitarentur, toti fuerunt in illis, ut ſonabant defendendis. [2] Sed (2) Pſal. 57 v. 4.
erraverunt ab vtero, & locuti ſunt falſa, ut inquit Propheta Regius: Verumque eſſe probarunt illud dictum Salviani: (3) Quòd res dubia, ac latens meliùs ſemper, & felicius bonis interpretatoribus, quàm malis defenſoribus creditur; (3) In Epiſt. Apro, & Vero.

ditur; tàmquàm ijs qui probè norunt, ſimilia ſepè verba eſſe in rebus diſſimilibus diſſimiliter accipienda: Nec uno, & eodem modo, licèt idipſum ſonantia, ſemper intelligi debere: ut eleganter advertit [4] *Venerabilis Cluniacenſis. Quod an ego ritè egerim, tu, mi Lector, judicabis, ſi ſingulos ſacræ paginæ, & utriuſque Iuris textus, nec non SS. PP. & aliorum Doctorum, relatas auctoritates, quas omnes in fonte vidi, & fidelitèr citavi, in Statera Sanctuarij, libraveris, & perpenderis.*

(4) Contra Judæos cap. 1.

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

N. Archiep. Capuæ Viceſg.

Approbatio Reverendiſſimi Patris Io: Michaelis Teronij Clerici Regularis Barnabitæ, Conſultoris Sacræ Congregationis Indicis, & Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, Electi Epiſcopi Venuſini.

DE mandato Reverendiſsimi Patris Gregorij Selleri, Magiſtri Sacri Palatij, vidi Opus compoſitum à D. Joſepho Pinto Pereyra, Luſitano, Sacræ Theologiæ, & Juris utriuſque Doctore, cui Titulus, *Statera Sanctuarij, ſivè Zelus ſecundùm ſcientiam &c.* Et non ſolùm nihil in eo reperi fidei, & bonis moribus contrarium: immò utiliſsimum illud judico, & omninò neceſsarium ad evitanda ſcandala, quæ quotidie oriuntur ex perniciòſo abuſu ſtatutorum puritatis. Quare dignum mihi videtur cui concedatur licentia, ut in publicum edatur. Datum Romæ in Collegio Sanctorum Blaſij, & Caroli ad Catenarios die 14. Martij Anni 1714.

Jo: Michael Teronius.

Approbatio Admodum Reverendi Patris Fr. Hyacinthi Sanĉta Romana Cæſarauguſtani Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtri, Nunciaturæ Hiſpaniarum Examinatoris Synodalis, & nunc in alma Urbe Theologi Caſanatenſis.

DE mandato Reverendiſsimi Patris Gregorij Selleri, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, Librum, cui Titulus eſt, *Statera Sanĉtuarij, ſivè Zelus ſecundùm ſcientiam &c.* Auĉtore Joſepho Pinto Pereyra Sacræ Theologiæ, & Juris utriuſque Doĉtore, tota mentis attentione perlegi; nihilque in eo fidei Orthodoxæ, & honeſtis moribus contrarium reperi; quinimo illum in ſuis aſſertis ſolida doĉtrina refſertum, Conſtitutionibus Apoſtolicis munitum, Civilibus legibus vallatum, & Sacræ Scripturæ teſtimonijs undequaque circumſeptum inveni: quibus viam reĉtam parat, ut Judices Commiſſarij in informationibus capiendis, legitimè, & prudenter interrogent, & teſtes juſtè reſpondeant; Sicque utrique in veritate, & juſtitia ſuo muneri ſatisfaciant; Judices ritè examinando, & teſtes fideliter, & diſcretè deponendo; omni paſsione, odio, & inimicitia ſemotis, quibus ſub colore Zeli filij hominum ſeduĉti, mendaces ſunt in ſtateris; Cùm tamen ſtatera doloſa abominatio ſit apud Deum, qui dicit in Deuteronomio 16. *Juſtè, quod juſtum eſt, proſequeris*. Ex quibus publica luce dignum diĉtum librum ſentio. Salvo &c. Romæ in hoc Conventu Sanĉtæ Mariæ ſupra Minervam die 17. Martij Anni 1714.

Fr. Hyacinthus SanĉtaRomana.

IMPRIMATUR

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google